




**Johannis Regii Oratio pro scepticismo: habita kalendis Junii  
1725 cum munus rectoris illustris Frisiorum academiae  
deponeret**


<https://hdl.handle.net/1874/234381>

XXb/492

ID  
A  
0



Inst. v. Gesch.



JOHANNIS REGII  
ORATIO  
PRO  
SCEPTICISMO


HABITA

KALENDIS JUNIIS.  
CIO IO CCXXV.

Cum

Munus RECTORIS

Illustris FRISIORUM ACADEMIÆ  
deponeret.



FRANEQUERÆ,

Excudit HENRICUS HALMA, Illustr. Frisæ Ordd. atque  
Eorundem Academiæ Typograph. Ordinar. MDCCLXXV.

Proverb. 14. vers. 15.

*Imperitus omne credit verbum: solers vero  
gressus suos animadvertit.*

**BACON. DE VERULAMIO DE AUG-  
MENTO SCIENT. Libr. III.** *Non igitur  
absque magna & evidenti causa evenit, ut com-  
plures ex Philosophis (aliqui autem eorum maxi-  
me insignes) Academici fuerint & Sceptici, qui  
Scientiæ humanæ & Syllepsium certitudinem sustu-  
lerunt, ultra verisimilitudinem aut probabilitatem  
negantes, eam pertingere.*



JOHANNIS REGII  
ORATIO  
PRO  
SCEPTICISMO.



Abderitas Democritum, omnia  
ridentem, insanum habuisse,  
eamque ob causam Hippocra-  
tem, Medicorum facile prin-  
cipem, ut Abderam, allatis pæonia, ve-  
ratro, aliisque herbis, ipsum sanatum  
venire vellet, arcessivisse, memoriæ pro-  
ditum est. Democritum enim cuncta  
eorum molimina, quævis facta, quos-



#### 4 JOHANNIS REGII ORATIO

cunque casus & quælibet alia, quæ illi plurimi faciebant, nihil pensi habere, ferre non poterant, idque illis adeo videbatur absurdum atque a ratione alienum, ut in neminem, nisi rationis expertem ac mente captum cadere posset. Ita profecto cum plerisque comparatum est, ut potius ad id, quod vulgo agitur, quam ad istud, quod secundum rationem fieri oportet, attendatur; quippe qui adeo trium literarum potentissimo Tyranno, more videlicet, præjudiciis nec non propriæ opinionis amore tanquam insolubilibus compedibus devincti, atque tanta dementia capti sint, ut non solum liberari recusent, sed & miserrimum illum statum indicantibus summopere indignentur ac irascantur; & sui plenus potius plausu quam risu, laude quam commiseratione se dignos arbitrentur. Id iis inprimis sedet, qui post indefessam operam diuina-

tinaf-

tinasque lucubrationes aliquam eruditionis famam adepti sunt, atque sapientes habentur & tales haberi gestiunt; illi, inquam ægerrime ferunt si quis istam sapientiam tanti non faciat quanti æstimandam esse ipsi quidem censent, & talem non solum atro notant carbone, sed & mente motum proclamant.

Quid igitur mihi H. A. multorum vanam sapientiam deridenti hodie expectandum erit? An melior mihi, quam olim obtigit Democrito, fors erit? Mihi, inquam, Scepticismum laudare atque commendare audenti, ut eo me istam, quam tantopere jactant, scientiam parvi facere, vel floccipendere ostendam. Quod ut demonstrem me non absque ratione aggredi; præmittam, veram sapientiam non esse tam acquisitu facilem, ut nonnulli opinantur: nam, ubi veritas deficit, ibi nihil est, ubi nihil est, ibi ne-

## 6 JOHANNIS REGII ORATIO

que sapientia est, cum veritas & res pari passu ambulent; qui igitur rem non novit prout a parte sui se habet, sapiens non est. An jam ullus Philosophus, nisi vanus fuerit jactator, se cuncta prout se habent a parte sui, cognoscere, statuere audebit? Si ausit, eum refutabit Jobus rogando *unde inveniatur sapientia? & ubinam locus intelligentiæ?* imo affirmando *solum Deum viam ejus intelligere, illiusque cognoscere locum.* Mihi quoque habeo suffragantem Regum sapientissimum dicentem, *hominem opera Dei nunquam reperturum.* Ne igitur vobis mea Scepticismi commendatio in ipso initio nimis videatur absurda. Sane ipsi Erasmo, seculi sui luci & ornamento, etiam circa res multo graviores majorisque momenti, videlicet Theologicas, hoc meum non displicuit propositum; quod satis aperte ostendit, quando ita scribit:

*se adeo non delectari assertionibus, ut facile in Scepticorum sententiam pedibus discessurus esset, ubicunque per Divinarum Scripturarum inviolabilem auctoritatem & Ecclesie decreta liceat. Quæ tantum allego ut, quam longe Viri cordati & perspicaces a temeraria assensione absint, pateat: Theologis, ne falcem meam in messem alienam mittere videar, res suas relinquo atque committo. Neque revocando Scepticorum ἐποχὴν lucem eripio, vel quasi noctem quandam rebus offundo, nisi quis festinam credulitatem & errores inde ortos lucem reputet. E contra cunctando assensumque cohibendo Solis ortum nec non majus lumen expecto, ut eo, caligine discussa, illa, quæ adhuc alta nocte sepulta erant vel crepera duntaxat luce videbantur, evadant aprica & tanto melius clarescant.*

Ne autem iniquius de me, quam par est,  
est,

## 8 JOHANNIS REGII ORATIO

est, feratis iudicium, quandoquidem nomen Sceptici & Scepticismi odiosum est & abominabile, atque vulgo, quamvis immerito, ipsum Atheismum involvere creditur. Æquius de eo fert iudicium Doctissimus nec non acutissimus Baconus in quadam pericope Historiæ Naturalis, cui titulus *Scala Intellectus: Difficilis*, sane (inquit) foret reprehensio eorum, quibus nihil sciri placuit, si decretum durum interpretatione molliore correxissent. Si quis enim asserat, hoc ipsum scire recte acceptum, esse per causas scire, causarum autem cognitionem gliscere, & serie & velut catena perpetua ad notissima Naturæ scandere, adeo ut particularium rerum cognitio absque exacta universæ Naturæ comprehensione, proprie non absolva-  
tur; non facile invenias, quod sano cum iudicio contradici possit. Nam & veram a-  
licujus

*licujus rei Scientiam haberi posse, antequam Mens causarum explicatione plane consistat, minus consentaneum, & perfectam Universi cognitionem humanae Naturae attribueret atque asserere, temerarium fortasse quiddam, atque impotentis cujusdam animi censeri possit.* Paucis itaque mihi explicandum erit quid hic per Scepticum & Scepticismum intellectum velim: ejusmodi hominem, qui dubitat de existentia ipsa rerum singularium, an quidem detur Coelum, an terra, an Deus, an homines, an ipse habeat manus & pedes: quin imo qui non solum hæc dubia habet, sed voluntate in contrarium versa, cuncta hæc falsa existimat, ejusmodi hominem, inquam, non dignor nomine Philosophi, ast stolidum, fatuum, impium, quin Atheum appello prorsusque abominor atque detestor. Neque unquam inter veteres Philosophos tales extitere homines,

B

qui

## 10 JOHANNIS REGII ORATIO

qui de ipsa rerum existentia ambegerunt, sed de rationum soliditate, quibus de rerum essentiis, proprietatibus, affectionibus, effectibus eorumque causis alii Philosophati sunt, dubitarunt; non vero immerito: cum enim Dogmatici omnia quasi ex tripode pronunciarent, suasque rationes, aliquando satis elumbes, auditoribus suis pro veris & certis obtrudere satagerent, facile Viri sagaciores ac emunctioris naris quid iis subesset vitii olfecerunt, petieruntque hæc sibi firmitus demonstrari, & ut magis eorum fastum retunderent, quandoque etiam res apertas animi causa negaverunt, ut Dogmaticis, magnis istis magistris, vires suas experiendi atque exercendi præberent occasionem. Cum vero respondendo non essent, pro rationibus certis & genuinis, ut tali in casu non raro assolet, convitia dederunt & hoc stigmatem notare conati sunt; hanc

ob

ob rem Zeno, teste Cicerone, optimum Socratem scurram Atticum nominavit. Quod fecerunt ut, contemptis eorum objectionibus, ipsisque pro dementibus & infamibus habitis, tanto melius atque commodius suam tuerentur auctoritatem.

Quæ me non frustra dixisse, ut evadat manifestius, quædam e Diogene Laertio, Scepticorum sententiam narrante, notabo. Ita ille Libr. ix. , Licet, autem totum conclusionis illorum modum ex iis, quæ reliquere monumentis, animadvertere. Quanquam Pyrrho, quidem ipse nullum reliquit opus, verum discipuli & necessarii ejus, Timon, & Ænesidemus, Numenius ac Naufiphanes, atque alii hujusmodi: quibus obstrepentes Dogmatici ajunt illos comprehendere & decernere. Nam in eo, quod arguere & cæteros evertere co-



,nantur, profecto comprehendunt atque  
 ,in eo ipso asserunt & dogmata astruunt.  
 ,Nam cum se nihil definire ajunt, omni-  
 ,que rationi contrariam objectam esse  
 ,rationem, ea ipsa & definiunt & pro-  
 ,ferunt. Adversus quos illi respondent,  
 ,Atqui ea, quæ patimur, ut homines  
 ,fatemur. Nam & quod dies fit, quod  
 ,fit generatio, quodque vivamus, &  
 ,cætera in hunc modum, quæ in vita no-  
 ,stra manifesta sunt, scimus: Cæterum  
 ,in iis, quæ Dogmatici asserunt, ea se  
 ,ratione comprehendere dicentes, veluti  
 ,de incertis, neutiquam consentimus;  
 ,solas vero passiones agnoscimus. Nam  
 ,& nos videre confitemur, nosque intel-  
 ,ligere scimus; verum quo pacto videam-  
 ,mus aut intelligamus, ignoramus. Quin  
 ,quod hoc album videatur narrando di-  
 ,cimus, non asserendo an revera ita fit.  
 Plura isthic de hoc argumento habentur,  
 quæ

quæ cuncta describere, cum tædium paret, operæ pretium non erit.

Committere nequeo quin his magni Gassendi de Scepticis addam iudicium, quod extat *Disquisit. Metaphysi. Pag. 30. 31.* Sic ibi iste fatur: , De Scepticis, illud , omitto, non vixisse ipsos adeo ridicule, , ac tu objicis; ecquis enim talium virorum sustinisset esse amicus? Verum , captatam fuisse ansam subsannandi Pyrrhonem ex deprædicata ab illo opinionum indifferentia. Quam certe ille, cæterique, qui ipsum imitati sunt, philosophi generose de retinendo assensu, fuerint, quamque longe, ab exigenda, imprudenter vita abfuerint, qui vitas ipsorum scripsere, testantur. Hoc proinde, solum attingo, ipsos inter actiones vitæ, & inquisitionem veritatis ita distinxisse, , ut quod ad vitæ actiones quidem spectaret, non esse habendam indifferentiam

## 14 JOHANNIS REGII ORATIO

, censuerint, sed obtemperandum patriis  
 , legibus, necessitatibus consulendum, ex-  
 , hibenda officia, unoque verbo omnia  
 , agenda, quæ seu privatim, seu publi-  
 , ce, boni viri, & cives agunt. Quod  
 , ad inquisitionem autem veritatis, ita sub-  
 , distinxerint, ut discrimen statueretur  
 , inter τὰ φαινόμενα ea, quæ sensibus appa-  
 , rent, cujusmodi sunt calor ignis, dul-  
 , cedo mellis, uniuersæque cætera; &  
 , τὰ νοούμενα ea, quæ mente intelliguntur,  
 , ut sunt quæ dicuntur naturæ, causæ-  
 , que internæ, atque proximæ, & pro-  
 , prietates earundem rerum. Denique,  
 , cum incerta haberent quæ posterioris  
 , sunt generis: admiserunt tamen quæ  
 , prioris sunt, nisi si quando animi gra-  
 , tia, facere libuit dogmaticis insole-  
 , scentibus negocium. Heinc suborta  
 , quæstione v. c. de dulcedine mellis;  
 , respondebat Pyrrho, aut quilibet alius,  
 , sibi

,fibi quidem mel apparere dulce, & ea  
 ,de re se esse securum; an autem mel  
 ,esset sua natura dulce potius quam ama-  
 ,rum, saporisve alterius, hoc est, quod  
 ,dicebat sese ignorare, & dubii causam  
 ,sibi esse, quod si mel tale foret in se,  
 ,& secundum suam naturam, tale etiam  
 ,appareret omnibus, quæ degustandi  
 ,mellis vim habent, cum non appareret  
 ,tamen tot animalium generibus, quæ  
 ,gustatu pollent eximio, imo ne omni-  
 ,bus hominibus quidem, aut uni etiam  
 ,homini secundum varia tempora. Sic  
 ,non negasset quidem ignem sibi appa-  
 ,rere calidum, aut sese ab illo comburi,  
 ,sed non pronunciaffet propterea illum  
 ,esse ex sua natura hujusmodi, quod non  
 ,appareret perinde pyraustis, seu penna-  
 ,tis illis animalculis, quæ in mediis for-  
 ,nacibus nascuntur, & vivunt. Ita cen-  
 ,suisset de cæteris; nempe dici posse  
 , unam-

, unamquamque rem esse, aut apparere  
 , talem, quatenus habet molem, figu-  
 , ram, motum, situm; ac simul analo-  
 , giam respectu istorum, aut illorum or-  
 , ganorum; respectu hujus, aut illius  
 , animalis, vel hominis; respectu hujus,  
 , aut illius temperamenti, vel affectionis;  
 , respectu hujus, aut illius temporis, lo-  
 , ci, situs, distantiae, habitus, similibus;  
 , non autem esse propterea talem secun-  
 , dum se, ex sua natura intima, ob jam  
 , dictam causam; qua etiam constat  
 , Aristotelem alicubi usum, dum expen-  
 , dens, an lex aliqua sit justa secundum  
 , naturam, eam talem dixit quæ ubique  
 , gentium talis creditur, eo modo, quo  
 , ignis calidus sua natura est, quia tam  
 , apud Græcos, quam apud Persas  
 , urit.

Ex dictis, quanta injuria Scepticis uni-  
 versalis de omnibus dubitatio impacta  
 fit,

fit, fatis superque evadet manifestum; cum non de ipsa rerum existentia, sed tantum de existendi modo & rationibus, quibus ille adstruebatur, & profecto non immerito, dubitaverint, atque aliorum vanis & nugatoriis assertionibus assensum denegaverint. Si vero hæc Philosophia culpanda sit, multo magis ea, quæ non solum *νοῦνερα* sed & *φαίνουερα*, non tantum dubia, sed & falsa habet, atque pro certis & genuinis demonstrationibus, quas, modo fatis credulos inveniat, jactat, nil nisi sophismata, circulos & principii petitiones adhibet.

Scepticismus igitur, quem ego hodie commendabo, quem laudabo, in eo consistit, videlicet, ut nemo cuidam assertioni, alicui dogmati facile calculum adjiciat nisi rationibus certis, evidentibus, e Principio indubitato petitis, post iteratam meditationem diligentemque at-

## 18 JOHANNIS REGII ORATIO

tentamque considerationem omnium, tam ratione ipsius principii, quam argumentorum ponderis & demonstrandi modi, fatis fuerit convictus; si vero his aliquid deesse, vel scrupuli aliquid superesse deprehendat, assensum suum prorsus cohibeat, & tandiu omnino existat dubius.

Mihi ita instituenti objectum iri facile prævideo, me eruditionis progressui obicem ponere atque destruere non ædificare velle. Sed respondeo, neminem me veræ eruditionis, quæ in veritatis cognitione consistit, esse avidiorem; & licet jam ad decrepitam senectutem fere pervenerim libenter ultra Garamantes & Indos proficiscerer, modo mihi veritatis ibi addiscendæ certa spes foret. *Græcas literas senex didici, quas quidem sic avide arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens,* Ciceronis de se verba sunt; sic quoque de me ipso,

so, me in ipsa senectute veræ eruditionis thesaurum anhelare, sancte testari queo: sed, cum absque veritate omnis sic dicta eruditio duntaxat fucatæ eruditionis larva sit, ignoscite mihi si eam nihili pendam. Peritus quoque artifex ædificio nitenti labascenti & ruinoso fundamento nihil superaddet, ne tandem omnia simul mole sua corruant, sed potius vacillans destruet ædificium, ut firmum acquirat fundamentum, & illud, quod postea extruit, recte consistat nec facile minetur ruinam. Laudo quoque nec non utroque pollice approbo illorum virorum industriam, operam, molimina, qui per serias meditationes, imprimis sæpe repetita experimenta, ad naturæ abdita sibi aditum parare nituntur: quis scit, quid dies daturus sit, & si in omnibus scopum omnino non assequantur, saltem an non ad verita-



tem propius sint accessuri nec non posteris ulterius progrediendi præbituri occasionem. Utinam vero res Philosophicæ eo certitudinis, ut nulla opus esset dubitatione, perductæ essent; quod cum nondum factum sit, ne Philosophia tandem, a Dogmaticis errore errori addito nec non per eorum auctoritatem stabilito, degeneret in ridicularum, infrunitarum, ne dicam portentosarum opinionum chaos, atque in inextricabilium errorum conjiciatur labyrinthum, Scepticismum, a me propositum, Philosophis non tantum commendare, sed ceu perutile & maxime necessarium urgere aggrediar.

Primum meum argumentum a controversiis, quibus pleræque opiniones Philosophicæ obnoxia sunt, desumam. Neminem latet, quod, quot sunt Philosophi, tot ferme variæ & diversæ senten-

tentiæ de rebus in natura obviis existant; quod secus se haberet si veritas satis reperta nec non evidentibus & certis rationibus asserta atque demonstrata esset. Utique veritas simplex est & clara, semelque patefacta tanto lucet fulgore seseque mortalium animis manifestat ut vel inviti eam agnoscere debeant. Exemplo nobis fit ipse Diabolus, qui, licet Deum horreat, ejus tamen existentiam negare nequit. Theoremata quoque Mathematica ubi terrarum ab ea intelligentibus vocantur in dubium? & si quis vitilitigare vellet, vi veritatis cunctis, si non ipsam rationem exuerint, extorquebit assensum. Cum itaque pleraque dogmata Philosophica adeo controversa sint, estne certissimum luculentissimumque indicium sat veritatis in iis non esse conspicuum? Inibitne optime rationes, qui eo usque, donec efficacior accesserit

probatio, qua omnes objectiones & rationes in contrarium allatas commode refellere queat, assensum suum differt? Si vero ejusmodi argumenta apodictica non obtigerint, ne non rite demonstratis ac perceptis assentiendo in gravissimos errores incidat, nihil certi definiat, sed duntaxat quod proponitur plus minusve ducat probabile.

Neque est quod quis mihi objiciat, quemvis semper in scirpo nodum posse quærere, & difficultatem aliquam movere, ubi revera nulla est. Quod dico falsum esse & impossibile, quia ipsi luminis naturali & conscientie contrariatur radianti veritati nebulas offundere, & si quis ab omni ratione alienus id tentaret, tantum ejus in aprico positæ jubar est, ut istas nubeculas haud difficulter dispellat.

Haud quoque me a proposito dimovebit

vebit quorundam jactantia, gloriantium, quamvis olim dubitare licuerit, nunc aliam esse nostri temporis rationem, quo inventa sint clara & perspicua Physicæ principia, ex quibus omnia mundi phænomena & effectus naturæ, quotquot ab ingenio humano explicari possunt, deduci & exponi debeant. O Utinam res se ita haberet! Sed an principia clara & perspicua sola veritati indagandæ sufficient, ipsi viderint. Ante omnia, si quid judicare valeo, ut & vera & certa sint, requiritur. Ubinam vero & qualia illa sint, scire aveo. An erunt materia & motus? Hæc ante multa secula cognita fuerunt. An ficti innati vortices? An egregia tria elementa, quorum millies millia ex hac mundi constitutione existere potuissent? An in Metaphysicis conscientia nostræ cogitationis? An vero ideæ innatæ? An clara  
 &

## 24 JOHANNIS REGII ORATIO

& distincta perceptio? Sed fallor: præcipuum enim principium est cognitio attributorum summi Numinis, e quorum consideratione cæterarum rerum, quoniam earum causa est, potest indagari natura. Ita Philosophentur, qui Deum non agens potentissimum, sapientissimum, liberrimum, sed necessarium, agnoscunt. Si ea principia adeo clara & perspicua sint, post illa detecta, lites & controversias inter Philosophos plus quam unquam invaluisse, mirari subit. Utique quod clarum est, & perspicuum, insuper certum & verum, utpote se cujusvis conscientie commendans, lites non augebit sed componet ac decidet. An tot Viri eruditi, ingeniosi, ingenui, qui hæc improbarunt, pessimæ pertinacie accusandi erunt? Quum itaque per hæc jactata principia certitudo Philosophicane hilum quidem promotâ sit, quod in eodem

eodem persistam proposito nemo mihi vitio vertat. Majoris ponderis foret objectio desumpta ab experimentis, ab aliquot retro annis, cum a privatis, tum a doctorum Virorum Societatibus factis, quibus antehac ignota vel dubia clariora & certiora jam reddita sunt. Haud eo inficias, Philosophiam naturalem plurimum debere illis Auctoribus, ejusque pomœria per eos, utpote qui multa egregia & præclara præstiterint, valde esse extensa: non quoque diffiteor, meliorem, qua ad veritatem & certitudinem detur aditus, non esse, me judice, methodum & viam. Hæc tamen, quamvis ea faciam plurimi, nondum, & quoad rerum causas, & quoad modum existendi, quæ duo Philosophus quam maxime scire desiderat, totum confecerunt negotium: nam fere duntaxat quædam

D

singu-

## 26 JOHANNIS REGII ORATIO

singularia naturæ phænomena & effecta  
 proprietatesve nobis proponunt, quorum  
 causæ ulteriore ratiocinatione indagandæ  
 sunt; & quamvis subinde quarundam  
 rerum causas proximas indicent nec non  
 melius & accuratius de iis ratiocinandi  
 præbeant occasionem, tamen, quia in  
 omni ratiocinio error esse potest, &  
 rerum naturalium instar catenæ annulo-  
 rum cohærent causæ, semper aliquid re-  
 manet incerti. Illud quoque observa-  
 tum, experimenta refellendis aliorum  
 opinionibus quam stabiliendæ & confir-  
 mandæ veræ & certæ thesi, magis con-  
 ducere. Accedit, quod adeo exilia cor-  
 puscula, ut non solum sensus nostros sed  
 & ipsam nostram imaginationem fugiant,  
 primariæ & præcipuæ naturæ effectuum  
 causæ sint ac proinde nulli experientiæ  
 subsint. Sperandum tamen est, nos ad  
 quorundam, circa quæ hæctenus dubii  
 hæ-

hæremus, Philosophiæ experimentalis ope certio rem cognitionem perventuros.

Secundum argumentum a perverso & veritati minime consentaneo res percipiendi modo depromam. Quæcunque res existit, ea singularis est, propriamque ab omnibus aliis rebus separatam possidet essentiam; conceptus vero nostri sunt generales, magnamque sub se rerum comprehendunt catervam. Nimirum non formamus notionem alicujus individui, aut generum & specierum, quam postea pro re nata, vel omnibus speciebus, vel individuis applicamus, ut labori parcamus & de una eademque fidelia plures dealbemus parietes. Quod profecto, notante Illustr. Verulamio *Novi Organi Libr. 1. Aphoris. 97.* veritati inveniendæ ac stabiliendæ nequaquam bene cedit. Sic ibi fatur: *Nemo adhuc tanta mentis con-*



stantia & rigore inventus est, ut decreverit & sibi imposuerit, Theorias & notiones communes penitus abolere, & intellectum abrasum & æquum ad particularia de integro applicare. Quo tamen factorem nobis tanquam bene gestam gratulamur arbitramurque, nos viam compendiarium, qua tuto & sine multo labore ad cunctorum notitiam perveniamus, invenisse. Sed toto cœlo errant, qui existimant ideam, duntaxat ens rationis repræsentantem, nos posse imbuere rei veræ cognitione, quia verum & fictum, ens rationis & reale nimium a se discrepant. Præterea idea universalis formanda est inductione: Sed quam periculosus argumentandi modus inductio, quæ unica instantia everti potest, sit, norunt Logicorum filii. Et eam esse merum ens rationis ex eo manifestum est, quod pro

re nata tot rerum genera & species constituere queamus, quot nobis libuerit. Fateor idæ generales possunt quodammodo inservire evitandæ confusioni & rerum ad quasdam classes five ad quædam summa capita reductioni; si vero in iis quis subsistat potius ipsi veritati cognoscendæ obsunt quam profunt.

Dum in eo sum, ut notiones universales, ceu inquirendæ & inveniendæ veritati prorsus inutiles, improbem, lubet in transitu & quasi per parenthesin hic de iis apponere acutissimi Verulamii sententiam, qua, quo loco eas habeat, & quanta in iis formandis cautione ac circumspeditione utendum sit, satis ostendit *Novi Organi Libr. I. Aphoris. 104.* ubi ita de iis differit: , Neque tamen, permittendum est, ut Intellectus a particularibus, ad Axiomata remota, & quasi generalissima (qualia sunt Princi-

, pia (quæ vocant) Artium & Rerum)  
 , saliat, & volet; & ad eorum immo-  
 , tam veritatem Axiomata media probet,  
 , & expediat: quod adhuc factum est,  
 , prono ad hoc impetu naturali Intelle-  
 , ctus, atque etiam ad hoc ipsum, per  
 , Demonstrationes quæ fiunt per Syll-  
 , gismum jampridem edocto & assue-  
 , facto. Sed de Scientiis tum demum  
 , bene sperandum est, quando per Sca-  
 , lam veram, & per gradus continuos,  
 , & non intermissos, aut hiulcos, a par-  
 , ticularibus ascendetur ad Axiomata mi-  
 , nora, & inde ad media, alia aliis su-  
 , periora, & postremo demum ad gene-  
 , ralissima. Etenim Axiomata infima non  
 , multum ab Experientia nuda discre-  
 , pant. Suprema vere & generalissima  
 , (quæ habentur) notionalia sunt & ab-  
 , stracta, & nil habent solidi. At media  
 , sunt Axiomata illa vera, & solida, &  
 , viva,

, viva, in quibus humanæ res, & fortunæ, sitæ sunt; & supra hæc quoque, tandem ipsa illa, generalissima; talia, scilicet, quæ non abstracta sint, sed, per hæc media vere limitantur.

, Itaque hominum Intellectui non plumæ addendæ, sed plumbum potius, & pondera; ut cohibeant omnem saltum, & volatum. Atque hoc adhuc factum non est; Quum vero factum fuerit; melius de Scientiis sperare licebit.

Præterea gratis, imo falso, supponitur, omnia illa, quæ nos sub eodem genere vel eadem specie collocamus, esse prorsus ejusdem naturæ atque eandem habere essentiam, quas ego puto ferme esse totidem quot in rerum natura existunt singularia. Scio equidem videor vobis paradoxus, modo non heterodoxus habear, dicetisque essentiæ rerum consistunt in indivisibili, quomodo

igitur possent esse in singulis essentiae variantes? Imo vero essentiae fictae, quatenus idea continentur, indivisibiles sunt; nam satis praeviderunt Philosophi, se parum in sua doctrina promovenda auxilii habituros, nisi tam arctis limitibus essentias rerum circundedissent: non autem in se essentiae ejusdem speciei ejusdem sunt conditionis, una majorem altera minorem habet perfectionem, quae cum ad ipsam essentiam pertineat; ex vero, essentias rerum ejusdem speciei esse diversas, mihi dicere licebit.

Quorundam individuorum ad eandem speciem pertinentium perfectiones esse diversas, haud ibitis inficias. Illa esse adjuncta, mihi regeretis. Sint: an omne adjunctum non sequitur conditionem subjecti sui? Igitur ubi nobilius est adjunctum, nempe internum, ibi ut prestantius subjectum sit, necesse erit: Pre-  
fer-

fertim, si uti fas est Philosophemur, statuamusque adjuncta interna essentiis non superaddi, sed esse ipsas essentias per suas perfectiones essentielles se variis modis exerentes, dicti veritas in confesso erit. Unum vel alterum adducam exemplum: Angeli & mentis humanæ essentia, quoad naturam spirituales, eadem idea vulgo comprehenduntur; quis autem adeo bardus, qui Angelo, spiritui separato, potenti, maxima sapientia pollenti, non aliam esse naturam five essentiam quam menti, ad unionem cum corpore destinatæ, imbecilli, minus sapienti, credat? Horologia varia sunt & diversis modis confecta; an ideo cunctis, quia omnia in una eademque idea horologii conveniunt, eaque percipiuntur, eandem prorsus tribuemus essentiam artificialem? An Deus minus potuit innumeras condere essentias naturales?

E

Ef-

Essentias rerum, quæ quoad intimum eadem manent, tantas posse subire mutationes, ut ideæ universali, de istis formatæ, nequaquam congruant, ex homine, fere in bestiam converso, Nebucadnezare, clarum est. Ille a pristino suo statu, & respectu animæ, & ratione corporis, tantum discessit ut vix aliquid humani videretur superstes: nam anima ejus omni ratione privata est, & animæ bestię evasit similis; corpus gramine, quo solo homines vivere nequeunt, nutritum. Homo tamen mansit Nebucadnezar, sed non talis, cui idea hominis universalis applicari poterat. Quandoquidem igitur ideæ rerum universales, non ex intima earum essentia, sed duntaxat ex attributis, proprietatibus, effectis suam trahunt originem, & illa cuncta in singularibus diversa sunt, perperam ex iis essentiæ rei singularis expecta-

pectatur plena, certa & vera notitia.

Lubet circa hanc materiam me aliquanto latius diffundere. Essentiam rei si primum omnium operationum ac effectuum dixerim principium, eamque cunctarum proprietatum atque affectionum, inde pullulantium, radicem habeam, neminem me perversi iudicii accusaturum reor. Jam vero, uti e fructu cognoscitur arbor, ita effecta & proprietates essentiae alicujus arguunt constitutionem. Si igitur a duabus rebus, quamvis a Philosophis ad eandem speciem reductis, ac proin eadem idea conceptis, diversa procedant effecta, variaeque earum sint proprietates, per omnia eandem aut similem iis essentiam non esse, statuendum erit: nam quoniam effecta & proprietates ab essentia, ceu causa, omnino dependent, unde, si essentiae



## 36 JOHANNIS REGII ORATIO

prorsus similes fuerint, tanta eorum varietas? An his, specie quidem iisdem, essentiis alia & alia esse causabitur accidentia? Sic cum non magis accidentia realia, jure merito a Cartesio exautorata, in rerum natura existant quam genera & species, fictio fictione deludetur. Concipiant igitur has res una eademque idea, sed simul quantum a veritate absint videant.

Neque mira hæc rerum, quæ ad idem genus vel eandem speciem pertinere volunt Philosophi, illis videatur diversitas: interest enim Divinæ potentia, sapientia, libertatis rebus, quæ ferme similes, vel ejusdem habentur speciei, aliquid addere diversi, ut, illas quadam necessitate e Deo emanasse, hominibus omnis existimandi præriperetur occasio, ast in ipsis Dei operibus ejus multiformis sapientia atque liberrima voluntas forent

conspiciuæ. Profecto majorem in Artifice arguit peritiam machinas, licet eidem operi destinatas, variata constructione, quam uno eodemque tenore procedentes, conficere.

Si quis mihi regerat, singularium & individuorum multitudinem innumeram, ac proinde eorum cognitionem perquam difficilem quin fere impossibilem esse; respondebo, id esse, quod intendo: & quia valde pauca singularia nostræ inquisitionis objecta sunt, sed nos plerunque in universalibus hæremus, nos ad veram & certam ipsarum rerum scientiam quam rarissime pervenire.

Hæc cum ita se habeant AUD. OMN. ORDIN. SPECTATISS. & idea generalis admodum vaga sit & confusa, ac duntaxat ens rationis, quod nullibi, prout a nobis concipitur, existit, nobis proponat, nihilque particulare rei,

## 38 JOHANNIS REGII ORATIO

quod tamen maxime ad perfectam & intimam ejus cognitionem facit, ei adjunctum sit, an non sat causæ assensum nostrum inhibendi, ne cæteroqui pro Junone nubem amplectamur, habebimus?

Crassa ignoratio primariorum nostræ cognitionis objectorum, etiam quatenus tantum circa ea versatur ista nostra universalis notio, tertium mihi suppeditabit argumentum. Objecta illa sunt spiritus & corpus; quæ, quod sint, satis manifestum est & a nullo, nisi insaniente, vel se præfractæ veritati opponente, in dubium trahi potest: sed quid sint, & in qua proprie eorum consistat essentia, nulli hæcenus satis perspectum est. Haud me latet stomachum motum iri istis Philosophis, qui nihil natura spiritus & corporis sibi notius esse opinantur. Se vero hac sua opinione delectent, per  
me

me licet; etiam me risu excipiant, non reluctabor. Si vero tanta illis præ aliis lux affulserit, & alios quoque illuminent: Utique & illi homines sunt & solidæ demonstrationis capaces: saltem a sua sententia gravissimas, quibus premittur, difficultates amoveant; eam ab absurdissimis liberent consequentiis: ostendant ex illa idea, quod spiritus nil nisi cogitatio sit, non sequi necessario quod spiritus proprie & per se non possit afficere corpus; quod in idea corporis, rei mere extensæ, non involvatur infinitas: quam ob causam acerrimus ejus propugnator huic mundo fines vel limites assignare ausus non fuit. Id unum addam, naturam sive essentiam corporis in sola consistere extensione, rationes gravissimas, quæ in contrarium adferri possent, jam sepono, unde probabitur? Ex eo, quod omnia corpora, quæ sub sensus nostros cadunt, nobis ideam

## 40 JOHANNIS REGII ORATIO

ideam ingerant extensionis? Multum differt extensum esse, & totam essentiam extensione absolvi. Quid dicendum de exilibus istis corporibus, quæ non solum sensum sed imaginationem fugiunt, quæ absque principii petitione ejusmodi statui nequeunt. Ego omnino sic habeo, nos de iis, quorum essentia nobis ignotæ sunt, potius multa garrere, quam solide quicquam demonstrare, & pleraque, quæ de iis proferimus valde esse incerta. Hinc laudatus a me Scepticismus certæ veritatis amantibus, nec non errorem evitare conantibus denuo se ultro commendat.

Multæ opiniones Philosophorum, antehac clarissimorum, tunc temporis defensæ certissimæque habitæ, jam vero invictis rationibus, vel experimentis certissimis, falsæ repertæ mihi quartum suggerent argumentum. Si enim istæ senten-

ten-

tentiæ, quæ olim omnium applausum merebantur, jam merito explosæ sint, & earum auctores non minus sapientes visi & habiti fuerint quam hodierni Philosophi, non magis quam isti erroris immunes, quam parum Philosophis fidentium sit, facile patet. Ejusmodi abrogatorum dogmatum pauci duntaxat delibabo. Peripateticos pro formis substantialibus, ceu pro aris & focis, semper pugnasse, quis ignorat? Hæc opinio adeo, etiam inter Christianos, quin & Reformatos olim invaluerat, ut parum ab hæresi abesse, quisquis eas negare sustineret, crederetur. Qui vero hodie tales formas substantiales tuentur potius nugaces quam sapientes habentur. Aer antiquitus corpus leve æstimatus fuit; nunc vero corpus grave esse, & forsan cujusvis gravitatis causam, non sine ratione plurimi arbitrantur. In animalibus ve-

## 42 JOHANNIS REGII ORATIO

nas mesaraicas nutritioni inservire easque chylum ad venam portæ deferre, credidit antiquitas: postquam vero Asellii industria vasa lactea inventa sunt, prior sententia jam rejecta est, quæ tamen tam altas in hominum eruditorum animis egerat radices, ut & ipse Celeb. Harvejus, cui sanguinis circulationis inventionem debemus, & Bilsius Asellii verissimam sententiam refutare conati fuerint. En! quid Philosophorum opinionibus, etiam pro certissimis habitis, tribuendum sit.

Ab abdita multarum rerum, ad quam detegendam nulli ingenio humano hæctenus patuit aditus, natura quintum meum petam argumentum. Profecto, cum innumeræ sint res, ad quarum perfectam cognitionem mortalium ullus nondum satis penetravit, attamen multi de illis quid certi determinare non verentur, quid de istius opinionis certitudine,

dine, ne dicam probabilitate, statuen-  
 dum fit, per se manifestum est. E plu-  
 rimis pauca tantum attingam. A cog-  
 nitione nostri ipsius & quidem partis præ-  
 cipuæ, videlicet animæ, faciamus ini-  
 tium. Certum quidem est e S. Scriptu-  
 ra, animam nostram esse substantiam  
 spiritualem, a corpore nostro distinctam,  
 nunquam interituram; sed hic, quid no-  
 bis de ea tanquam Philosophis solo ra-  
 tionis lumine innotescat, quæritur. Hic  
 certe talpa cæciores sumus, nihilque de  
 ea certi statui posse diversissimæ de illa  
 Philosophorum sententiæ fatis arguunt.  
 Scite profecto Lactantius super hoc ar-  
 gumento hæc protulit verba; *quid anima  
 sit, nondum inter Philosophos convenit, &  
 forsitan conveniet nunquam.* Neque fatis  
 hoc negotium expediunt, qui dicunt  
 corpus esse rem extensam, animam vero  
 cogitantem ac proinde toto genere a



corpore distinctam: quæ, si vera forent, mentis a corpore duntaxat ostenderent diversitatem, non ipsam essentiam; neque inde clarus oriretur nobis de mente conceptus, cum potius cogitationis sensum in nobis habeamus, quam clara & distincta notione seu idea eam nobis representemus. Præterea, quamvis quis in idea extensionem & cogitationem, ceu opposita, proponat, inde non sequitur a parte sui esse opposita. Sane Gassendus ad pudorem usque provocavit Cartesium ut solidis rationibus, nullum corpus cogitare posse, demonstraret, quod tamen nunquam præstitit. Igitur cogitatio non est certum mentis a corpore distinctionis indicium, multo minus essentiam ipsam explicat; nisi illis, quibus perinde est effectum, satis adhuc quoad essentiam suam obscurum, pro clara causæ ejus essentia arripere,

Lustremus corporis nostri conditionem: haud eo inficias quorundam virorum clarissimorum, inprimis Anatomicorum, opera, cura, solertia retro a seculo multa præclara, ante incognita, inventa esse in animalium corporibus, quæ solvendis quibusdam problematibus magnam adferunt lucem: attamen plurima quoque hæctenus industrium eorum fugiunt laborem. Unum duntaxat in medium proferam vulgatissimum quidem, attamen quoad causam & modum abditissimum, motum nempe membrorum nostrorum. Constat quidem satis, musculorum contractionem ejus proximam esse causam; sed quid sit istius contractionis causa, satis adhuc in obscuro est. Dictum quidem fuit antehac influxu spirituum animalium musculos intumescere, atque ita contrahi. Sed, præterquam, quod musculus uno ictu

oculi simul intumescat & detumescat iterum, prout occasio tulerit, postea certissimis experimentis compertum fuit, non solum spiritus animales sed & sanguinem arteriosum ad istum motum perficiendum necessario requiri: hinc dicendum foret mixtione amborum corporum oriri efferfescentiam quandam, qua musculus intumeat; cum vero, quando operari inchoat musculus oppositus, citissime flaccescat, vix percipi potest istam efferfescentiam tam subito cessare. Accedit, quod jam quidam negent spiritus animales dari vel in nervis existere, sed in illis liquorem glutinosum reperiri, quod hoc problema explicatu longe reddit difficilius.

Sed unio mentis cum corpore res est tam intricata, tam abstrusa, ut nulli ingenio humano pervia sit. Hinc pleraque, quæ ab illa dependent, & homo tamen, quo-

quotidie in se experitur, adeo perplexa sunt, ut serio ad ea attendens & de vera scientia desperans in sola admiratione subsistere debeat. Neque moror quorundam arrogantiam, qui maximo negotio levi brachio defunguntur, & ne nihil dicere videantur, aliquid saltem dicunt, statuendo nexum aliquem, quem Deus fecit inter cogitationes & motus corporeos. Inanes vero nugæ sunt cuncta a nexu quodam arcessere & ipsum nexum, qualis sit, ignorare, atque ipsum effectum pro ejus causa, de qua quæritur, allegare. Superatne captum, substantiam spirituales in suis operationibus ita a corpore dependere, ut eo non recte disposito, illæ, etiam rationales, male peragantur, quin imo aliquando prorsus cessent? Corpus mentem afficere posse, nisi quotidiana experientia nobis assensum extorqueret, quis cre-

## 48 JOHANNIS REGII ORATIO

crederet? Quomodo vero anima objecta externa percipiat, & an ubique in corpore sentiat, an vero certus aliquis locus sensationi destinatus sit, necdum satis claret; multo minus convenit inter illos, qui quandam cerebri partem pro sensorio communi habent, quænam illa sit, cum quidam corpori calloso, alii corporibus striatis, alii alicui e cerebri ventriculis, alii conario sive glandulæ pineali hæc munia assignent. Quæ vero sensatio fiat, & an objectorum imagines ad sensorium commune deferri debeant, an vero solus nervorum motus sufficiat, hac de re acriter Philosophi contendunt. Cuncta itaque hæc vaga sunt & incerta, ac proinde nulli satis nota.

Ne autem in universalibus hæream atque per plurima vager, unum, cujus cognitio a cognita mentis cum corpore unione dependet, & quod non solum  
diu

diu fui admiratus, sed & stupui, feligam, videlicet lumen, five potius luminis perceptionem. Quid lumen corporeum, seu illud, quod in nobis sensum luminis efficit, sit, ab omni ævo inter Philosophos satis fuit controversum: non nego tamen, quorundam industriam atque diligentiam hic non parum profecisse; in id vero inquirere impræsentiarum non proposui; aliud est, cuius veram mihi dari rationem, summo-pere peto; videlicet, quâ substantia corporea ita animam non tantum afficere, sed & reficere queat, ut prorsus in alio statu sibi esse videatur: nam, quando homo versatur in tenebris, non solum omnium objectorum visibilium existit ignarus, sed & tristis ac fere vitæ pertæsus oberrat: postquam vero lux affulsi non tantum objecta discernit, ast quasi novus homo hilaris est & ad quævis ob-

## 50 JOHANNIS REGII ORATIO

eunda multo alacrior ; & cum reliqui  
 sensus circa singulare & determinatum  
 objectum versentur, sola lux per se visui  
 nullum objectum exhibet, sed medium  
 est, quo mens innumera objecta perci-  
 pere valeat, ac ea totum coeli nobis pa-  
 teat hæmispherium : uno verbo tantam  
 mutationem præsentia vel absentia lumi-  
 nis homini inducit, ut pro re nata vel  
 alius sibi videatur vel aliam vivere vitam.  
 Ad præsentiam vel absentiam unius cor-  
 poris, tanto intervallo a nobis distantis,  
 nempe solis, tantam in nobis esse varie-  
 tatem, quis recte capiet? quis rite ex-  
 plicabit? Utiq̄ue mens, sive lumen, sive  
 caligo extiterit, eadem est, easdemque  
 possidet perfectiones naturales, eidem  
 corpori juncta, iisdem utitur organis,  
 cur lumine, objecto vago, nihil rei  
 certæ offerenti, ita delectatur? Quî  
 præsentiam rei corporeæ sibi non tantum  
 tan-

tanquam aliquod jucundissimum nec non gratissimum sibi gratulatur, sed præterea ea ita quasi elevatur & perficitur ut exinde plurima cognoscendi acquirat facultatem?

Hoc & sexcenta alia, quæ ab unione mentis cum corpore dependent, & quæ, ignorato vero unionis modo, recte explicari nequeunt, proponi possent. Hæc tamen cuncta Philosophi de iis interrogati exponere conantur, & suo modo eorum reddent rationes; quæ quam solidæ, quam veritati consentaneæ sint, ex dictis satis manifestum est. Eorum igitur responsionibus creduli fidem adhibeant, Viri prudentes, donec cuncta hæc melius & clarius explicata sint atque solidius demonstrata, assensum suum cohibere satius ducent, mecumque scepticum agent.

Sed ab iis, quæ in nobis ipsis contin-



## 52 JOHANNIS REGII ORATIO

gunt & seria animadversione digna sunt, ad alia quædam, quæ extra nos sunt, transeo; ad nonnulla & quidem pauca, dico me transire, quia si omnia in scenam producere vellem, neque principium, neque exitum invenirem. Nihil, uti scimus, motu vulgatius est, nihil quod non omnes satis cognoscere opinentur: nihil tamen, quoad intimam naturam cognitu difficilius; nihil, quod summorum Philosophorum ingenia magis torfit. Quæritur nimirum, utrum motus, tanquam aliquod reale corpori superaccedat, quo corpus quasi perficiatur & ad aliquod agendum evadat aptum, an vero duntaxat fit corporis passio, e situ & figura corporum necessario consequens? Si attendamus ad ea, quæ vulgo & passim motui tribuuntur, effecta, quoniam non entis nullæ affectiones sunt: si eorum, qui motum to-  
tius

tius artis mechanicæ fundamentum statuunt, rationem habeamus: imo si istis accederemus Philosophis, qui totius hujus universi formam & constructionem motui acceptam referunt, motum esse aliquod reale fatendum erit. Ab altera parte, si consideraverimus motum esse adjunctum, sive, si mavultis, attributum, corporis, quod conditionem subjecti sui, rei mere passivæ, superare nequit, motus nihil activi in se continere, omnino statuendum erit; hic igitur iterum ancipites hæremus, & quid affirmandum, quid negandum sit, plane ignoramus.

Quid per motum quorundam corporum singularium dierum ac noctium vicissitudines, annive tempestates, efficiat, antiquitus inter Philosophos disceptatum fuit ac etiamnum controversum est. Antiquior opinio fuit, corpora

cœlestia in orbem acta hujus vel horum  
 existere causam, quam sententiam post  
 Aristotelem multosque alios acerrime  
 propugnavit Claudius Ptolomæus. Hu-  
 ic, ob defectus quosdam in ea inven-  
 tos, e diametro se opposuit post Pytha-  
 goram Nicolaus Copernicus, qui Soli  
 quietem, terræ vero cum reliquis plane-  
 tis motum tribuit. Aliud postea con-  
 cinnavit systema Tycho Brahæus, qui  
 quidem omnes planetas circa Solem ferri  
 existimat, solam lunam si exceperitis;  
 ipsum vero solem una cum reliquis pla-  
 netis circa terram moveri statuit. Sed &  
 aliud systema occurrit, cujus non infi-  
 mi nominis Authores sunt, quo terræ  
 motus diurnus, soli vero annuus assigna-  
 tur. Quodnam vero, sola ratione duce,  
 e tribus posterioribus, cum, fatentibus  
 optimis Astronomis, phænomenis satisfa-  
 ciant cuncta, eligendum sit, non ita fa-  
 cile

cile dictu erit. Ut vero tempora verna, autumnalia, æstiva & hyberna explicarent, excogitarunt alium solis motum, qui fieret per zodiacum, quo sol ferretur motu contrario & quo circiter gradum istius circuli quotidie absolveret; alii vero, solem motu spirali, æquatori non parallelo, moveri volunt.

Cum vero deprehendatur, motus Planetarum haud fieri secundum lineas circulares sed ellipticas, non parum istius motus explicatio torquet Astronomos: nam quoniam omnis motus, sibi relictus, ad lineam rectam naturaliter contingit, hic vero in orbem fertur, solidam rationem reddere nequeunt, cur corpora, tam celeriter mota, non secundum tangentem moveri pergant: futile vero est hic ad vortices, ab illustri Neuwtono jam dudum explosos, confugere; quandoquidem hi, si quid motui  
cir-

circulari conferre posse viderentur; tamen elliptico prorsus obessent: hinc quidam, & non infimi nominis istum motum a quadam attractione & repulsione arcessunt; sed hæc, ut verum fatear, mera nomina sunt, nihil rei exponentia. Non igitur immerito Deus Jobum rogat: *an tu nosti ordinationes cæli?* Motus ipsos, nec non eorum terminos, ut &, qui inde eveniunt, Planetarum mutuos, ut vocant, aspectus diligente observatione satis feliciter cognoscunt: quæ vero hujus causa sit Physica, hæctenus nihil certi compererunt.

Hæc H. A. rationum mearum, quibus necessitatem veri Scepticismi stabilire conatus sum, quædam duntaxat sint specimina: si enim per singula ire vellem, atque ex iis opinionum Philosophicarum ostenderem incertitudinem, nullus mei sermonis esset finis. Unum tamen,

men, quod ad confirmandam meam sententiam facit, præterire nequeo; videlicet, quidam Philosophi, & olim, & ante seculum fere, de veritatis certitudine e rebus ipsis eruenda plane desperantes, eam in se ipsis quæsierunt, eamque ob causam jactarunt internam aliquam divinam revelationem, videlicet, rerum omnium ideas innatas, Dei digito sibi inditas, Deoque pictore fictas atque conformatas, quæ ideo humillimo obsequio summaque reverentia, ceu ipsius Dei eloquia, forent recipiendæ: si quis igitur has ideas attento animo intueretur, easque clare & distincte perciperet, eo ipso & ipsam certo cognosceret veritatem, & si quid rite ex istis, ita cognitivis eliceret, errare non posset. Speciosum fane inventum ad dictis suis fidem faciendam, & assensum negantibus non tantum stupiditatem sed & impietatem

H

tem

## 58 JOHANNIS REGII ORATIO

tem improperandam, divinam prætexere auctoritatem. Simili fere modo instituit olim Profanus ille multorum absurdorum, perplexorum, ne dicam impiorum Scriptor Jacobus Böhmen, vulgo dictus Philosophus Teutonicus, qui satis prævidens, nugas suas apud homines, ratione utentes, nullam merituras fidem divinam prætendit revelationem, dixitque, se instinctu Spiritus S. sua scripsisse duntaxat eodem Spiritu actis & illuminatis intelligibilia. Sed mera est astutia, merum vaframentum, mera fraus nostris cogitatis aut ideis aliquid divini attribuerе, ut, cui per se impares sunt, Dei nomine assensum extorqueant credulis vel imperitis, vel non satis attendentibus. Neque minus desperatæ causæ indicium est pro scientia fidem poscere & pro ratione auctoritatem allegare. Concludo itaque, circa plurimas opiniones  
Phi-

Philosophicas, utpote nondum satis certo probatas & demonstratas, assensus cohibitionem esse perutilem & valde necessariam, ex dictis satis esse manifestum.

Hæc proferendo nullam Philosophis facio injuriam. Memores sint proprii nominis, a Pythagora olim asciti, quo se sapientiæ amantes sive studiosos, non sapientes profitentur. Quid inter ipsam sapientiam acquisitam & ejus studium sive amorem interfit, quis est, qui ignorat? Si vana arrogantia nominis sui obliviscantur, & ita a statu suo degenerent ut pro Philosophis sapientes haberi velint, ne, ut cum Lactantio loquar, *alii illos, qui temere sapientium nomen sibi asciverunt, erroris stultitiæque damnent.* Quinimo & hoc nomen quibusdam nimis grande visum fuit elogium; quapropter ob hoc solum Quintilianus



## 60 JOHANNIS REGII ORATIO

eos insolentiæ postulavit, quando hunc in modum de illis fatus est: *nomen sibi insolentissimum arrogarunt ut soli sapientiæ studiosi vocarentur.* Cum vero eorum dignitas ultra studium & veritatis inquisitionem non pertingat, ac nihil quoque humani ab ipsis alienum sit, quisnam vel quicquam ei detrahit, qui dicit eos aliquando, imo sæpissime errare, male colligere, ac proin eorum dogmata non semper esse certa, sed antequam assensu digna sint, serio & sæpius ad rationis libellam examinanda?

Rogabitis forsan H. A. cui bono hæc omnia sint? Rationes, quæ me ad hoc argumentum publice recitandum impulerunt, non reticebo. Harum prima est, ut quorundam Philosophorum, nimium suis ideis atque ex iis deductis ratiociniis confisorum, nec non falsa, saltem incerta, pro veris & certis venditantium fastu de-

depresso, veritas facilius inveniatur: quid enim de eruenda veritate sperandum est, quandiu homines sua commenta, suas erroneas rerum notiones, vel ad summum duntaxat probabiles, ceu veras & certas ubique prædicant? An non hoc agendi modo omnem ulterioris inquisitionis tollunt occasionem, ac se ipsos aliosque, in errore magis magisque confirmant? Profecto, quamvis omnis ignorantia defectum aliquem in nobis arguat, ea, quæ est puræ negationis, illa, quæ pravæ dispositionis est, multo existit melior; cum prior data occasione, qua veritas quædam nobis offertur, facile emendetur; posterior nunquam, vel quam difficillime.

Revera intolerandus est nonnullorum Philosophorum fastus, infanda arrogancia: nam nullum est problema, cui solvendo, nulla sunt in rerum natura phæ-

## 62 JOHANNIS REGII ORATIO

nomina, quibus explicandis se pares non arbitrantur; quasi vero hujus Universi, infinita potentia conditi, incomprehensibili sapientia gubernati, ipsis paterent latifundia. Deus olim opera sua, nobis quidem ubique obvia, attamen ceu admiranda & omnem captum humanum superantia, Jobo proposuit hunc in modum rogando: *Quæ est via, ubi lux habitat? & ubinam locus caliginis? ut eam apportes ad limitem suum, & attenderes ad semitas domus ejus? An ad gazophylacia nivis pervenisti, & gazophylacia grandinis vidisti? Quam retineo ad tempus angustiae; ad diem certaminis & belli. Quæ via est, ubi lumen dispergitur, & eurus se dissipat in terra? Quis imbri aqueductum distribuit, & fulguri tonitruum viam? An pluvia patrem habet, aut quis parit roris guttas? E cujus ventre*

*tre glacies prodit, & quis parit pruina  
 cæli? Tanquam sub lapide sese aquæ ab-  
 scondunt: & comprehenditur superficies  
 abyssi.* Horum similibusve si ab hodie-  
 nis Philosophis peteretur enodatio, suam  
 solertiam tam vilibus & tralatitiis, ut o-  
 pinantur, objectis restringi, ægerrime  
 ferrent, modo non indignarentur: im-  
 berbes enim juvenes hodie multo gra-  
 viora audacter determinant. Modesti  
 vero & tenuitatis suæ sibi conscii longe  
 fatius ducunt cum Psalte confiteri: *cogni-  
 tio horum nobis mirabilior est, altior est  
 quam ad eam pertingere queamus.*

In ferendo verò de rerum naturalium  
 conditione peremptorio, uti existimant,  
 iudicio nondum subsistunt, sed altius  
 volare, & ipsius Dei infiniti, omni intel-  
 lectui creato inaccessi, nulli pervii per-  
 fectiones ac profunditates rimari volunt.

## 64 JOHANNIS REGII ORATIO

Etenim adeo confidenter de summi Numinis essentia atque ejus perfectionibus, ac si earum cognitio illis in numerato esset, aliquid statuunt. Qualis sit Deo essentia; quot ejus sint vera attributa, quomodo intelligat, quotuplex ejus sit scientia, quâ velit, quâ operetur, & innumera alia exponere ipsis difficile non videtur. Quis autem hæc sine risu, vel potius, indignatione ferat? Miserrimi homunciones, qui propriæ suæ essentiæ omni cognitionis paupertate laborant, qui proprium intelligendi, volendi, nec non operandi modum, vel plane ignorant, vel saltem admodum imperfecte norunt, stulta & superba imaginatione certam & explanatam Dei sibi pollicentur cognitionem. Utinam, etiam de Deo vera dicere periculosum esse, meminerint, sibi que caveant, ne, dum scrutantur Majestatem, a gloria ejus opprimantur!

Al-

Altera mea ratio longe majoris momenti est: videlicet, ne ex hac causa ipsi S. Scripturæ, aliquid eorum opinionibus contrarium revelanti, dicam scribere aufint, vel ejus verba detorquere sustineant. Ad quod isti Dogmatici ultro & sponte propendere debent: si enim illi, quod certissimum duco, aliquid opponatur, illud non admittam sed respuam. Id vero ab ipsis Ecclesiæ primordiis se ita habuisse, tristis testatur experientia. Hinc gravis ista Apostoli ad Colossenses extat admonitio ut sibi caverent a Philosophia, quam interpretatur vanam seductionem secundum traditionem hominum & prima mundi elementa. Ab eo tempore, quo Philosophi in Ecclesiam pedem intulerunt, ejus faciem foede fuisse deturpatam, quis nescit? Hanc ob causam eos hæreticorum Patriarchas nuncupare non veritus fuit gravif-

fimus Pater Tertullianus. An non hoc ipso nostro tempore contigit eo arrogantiae pervenisse Philosophos, ut scriperint, si S. Scriptura rationi aliquid contrarium revelaret, non potius illi quam huic esse credendum, sed secure Philosophandum atque in utramque aurem dormiendum? Dixisse, rationem æque ac revelationem nobis a Deo esse concessam, cum dispar utriusque conditio sit, crimen non minuit: nam ratio duntaxat facultas est verum percipiendi & scrutandi, limitibus circumdata & intra propriam activitatis sphaeram contenta, organis corporeis alligata nec non ab iis dependens, errori obnoxia, ejus, si cum Cartesio loquerer, voluntas se latius extendere potest quam intellectus. Neque ipsis primis parentibus excellentior obtigit: quid nunc vero de ea, tantam post lapsum passa capitis

dimu-

diminutionem, statuendum erit? Revelatio autem veritatem, ab ipso Deo veritatis fonte immediate proficiscentem, ab illo ita habitam & declaratam, nobis proponit.

Hanc ob causam, cum hinc veritatibus revelatis maxima accesserit mutatio, æque prorsus aliam formam adeptæ nec non haud parum passæ sint detrimenti, non immerito hanc jactatam, imaginariam tamen, dogmatum Philosophicorum plenam ac perfectam certitudinem labefactare conatus sum. Ne autem videar duntaxat aerem verberare & vano metu correptus, quædam allegabo facta, quibus, veritates revelatas ob præsumptam certitudinem Philosophicam esse mutatas, detortas, negatas, quam luculentissime constabit. Prædicat S. Codex de Deo quam plurima attributa. Philosophi vero, hac opinione, quod in



## 68 JOHANNIS REGII ORATIO

Divina essentia nil quam perfectissima cogitatio sit, præoccupati ei tantum duo tribuunt, videlicet intellectum & voluntatem; reliqua volunt solum esse denominationes externas, aut relationes, aut negationes, ad essentiam Dei internam proprie non spectantes, sed illi tantum tributas in ordine ad homines, aut alias res externas. S. Scriptura Deo tribuit veram omnipræsentiam, dicitque eum implere cœlum & terram, non esse procul ab unoquoque nostrum, quoniam in ipso sumus, nos movemus & vivimus. Sed Philosophi quidam, qui, se e natura Spiritus certo colligere posse, quod is nullibi sit, sibi imaginantur, hanc restringunt ad denominationem externam, natam ex operatione Dei ad extra, secundum quam singulis rebus adesse dicitur. Deum Patrem Deum filium ab æterno genuisse, S. Litteræ  
non

non uno in loco satis dilucide testantur : fuit tamen Philosophus , qui hanc litem inter conclusiones ex idea Dei , quam sibi innatam putabat , elicitas & revelationem componere nequiens , hoc mysterium ideo aperte negare sustinuit. Hæc vero sufficient ; neque ad alia , ne infandum cogar renovare dolorem , ut digrediar opus est. Sed hi Philosophiæ Dogmaticæ fructus sunt : fere enim impossibile est ut aliquis suis opinionibus , quas pro veris & certis habet , & ideo tanto-pere deperit , etiam propter revelationem divinam repudium mittat. Scepticismus igitur homini Christiano , ne pertinax præjudicium fidei obicem ponat , Philosophia Dogmatica longe erit utilior. Memores sint Philosophi aurei hujus Apostoli moniti : *Si aliquis sibi in hoc mundo videatur sapiens , desipiat ut demum sapiat.*


## 70 JOHANNIS REGII ORATIO

Licet autem eo modo, ut narravi, in Philosophicis Scepticus sim, tamen a Deo revelata omni animi submissione & reverentia recipio; & quamvis ea meis repugnarent ideis, tamen vera existimo, haud ignarus Dei sapientissimi nec non veracissimi dictata mea incerta & fallacia ratiocinia veritate & certitudine immensum superare, atque in eo consistere hominis Christiani obedientiam fidei præstandam.


D I X I.

Pag. 41. lin. 8. pro pauci lege pauca.



















505